







PROLUSIO

QUAM  
IN AUDITORIO MAGNO  
PALLATHI ACADEMICI

HABEBAT  
IOSEPHUS VALENTINUS EYBEL  
I. U. D. ET JUR. ECCLES. PROF. PUBL.

EXTRAORD. CÆS. REG.  
DIE 3. NOV. ANNI MDCCLXXIII

DUM  
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITAS VINDOBONENSIS,  
INTERPELLATA TANTISPËR STUDIA

RECLUSIS SCIENTIARUM PALÆSTRIS  
AUSPICABATUR

NUNC  
DIVULGATA

R. D. IOSEPHO HALUZA  
AUSTRIACO ET JUR. ECCLES. AUDITORE

OCCASIONE  
PUBLICÆ DEFENSIONIS

AD NEXARUM  
JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ  
POSITIONUM

IN AUDITORIO JURIDICO

HORA IV. POSTMERID. DIE 8. APRILIS  
MDCCLXXIV.

AB EODEM SUSCEPTÆ.



VIENNÆ,


Typis JOSEPHI KURZBÜCK, Cæs. Reg. Aulae  
Illirico-Orientalis, nec non incl. inf. Austr.  
Ord. Typogr. 1774.



111





 Quæ justitii literarii Finem simulque in-  
termittas parumper operas studiis  
reddendi initium adtulit hodierna  
dies, eadem vobis *Optimates Academici* an-  
num reducit solatium, quod iterum tanta ad  
omnis generis scientias confluentium multitudo  
& piissima vestra in invocando Divino Spiritu  
exempla paulo ante sequebatur, & nunc in Au-  
gustissimo hoc musarum pallatio coram magnifi-  
co hoc confessu auctoritatis vestræ æque ob-  
servans ac ingentes suos ad studia animos vo-  
bis demonstrandi avida circumstat. Causam  
adcurfus tanti, quo nostratibus Lyceis & in-  
ter ea maxime huic celeberrimæ Universitati

XC 2

no-



nostræ gloriari licet, non ulli nunc denique cognoscendam, sed pridem omnibus cognitam, & summa cum gratitudine potius recognoscendam esse arbitror. Palam est, omnibusque etiam exteris celebrata MAGNÆ THRESIÆ sapientia. Palam ejusdem munificentissima curâ, quæ scientiarum instituto, quod viginti abhinc annis bene cæptum & brevi temporis spatio ad fructus summos erudito orbi exhibitos perductum est, non tantum firmitatem & robur, sed & majorem perfectionem in dies largitur. Palam quoque, quod mihi quidem vestra bonavénia vestraque salva modestia liceat eloqui, palam quoque ubivis terrarum ea sunt, quæ vos *Magnifici ac Amplissimi Viri*, quî in partem hujus litterariæ sollicitudinis AUGUSTISSIMA FIDUCIA vocati estis, pro disciplinarum integritate perpetuo laboratis. Et quid est, quod aut nobis in scientiarum semita ducentibus, aut iis ipsis, qui ducendi sunt, jucundius esse queat, quam cernere hanc eandem semitam, ut eam sub immortalium nostrorum Principum auspiciis vestra providentia facilem ac amœnam, vestra eruditio rectam & solidam,

ve-



vestra fortitudo securam stabilemque reddidit  
Quid jucundius omnibus, quibus genuinæ lit-  
teræ animo tam erga Numen quam Patriam  
vere pio, animo spuriãe ejusdam utilitatis pu-  
rissimo hærent, quid jucundius inquam his om-  
nibus, quam cernere in vobis magistratum,  
qualem *Tullius* desiderat, videlicet, *in quo est*  
*vis & acrimonia ad resistendum, prudentia ad*  
*prospiciendum & constantia*; qui id semper po-  
terit, ut nunquam aliquid, quod fallacem quam-  
cumque speciem præferebat, aut contra sanctissi-  
mæ nostræ Religionis gravitatem aut contra  
sinceritatem doctrinæ tanto honorum omnium  
cum dolore, quanta illorum, qui nobis æmu-  
lantur, cum irrisione, & adquisiti magni nostri  
nominis cum jactura audeat prævalere. Id,  
id unum est, quod tam magnam apud nos di-  
scendi cupidorum frequentiam adtrahit, ex quo  
tam illustris scholarum nostrarum fama enasci-  
tur, quo magistri æque ac discipuli animan-  
tur. Atque hoc ex capite quam animatus etiam  
ego sim, ex iis, quæ nunc prolusionis gratia  
de jure Ecclesiastico generatim, & ne patien-



tiffimas vestras aures offendam, (cum brevitate peroraturus sum, benevoli percipite.

**P**rimo omnium *Auditores Academici* in publico hic coram vobis, ut mihi testes sitis, aperitissime profiteor, omnino a cunctis, quæ recentiore aliquam Juris Ecclesiastici doctrinam vel modice redolent, me quam maxime abhorere, aut si vulgare alicui vocabulum magis placet, me omnino antiqui instituti esse *Canonistam*. Qua in re ne ex hoc nobis sanctissimo loco & in Serio tot gravissimorum Virorum conspectu summa cum temeritate ludere videar, severa demonstratione hanc meam Professionem & veram & rectam esse declarabo. Tradidi hætenus & nunquam non traditurus sum immunitatem illam, quam *personalem* vocant, minime divina quadam necessitate, sed voluntaria tantummodo Summorum Principum benevolentia provenisse. Verum pro certo habete Auditores, neque futuram fuisse neque porro fore mihi hanc doctrinam, si non ipse divinus Ecclesiasticarum legum lator atque doctor *potestatem Pilato desuper in se* ut hominem & civitatis



tis confortem *datam esse* agnovisset, si non quam plurima Apostolorum effata idem sonarent ac Pauli Apostoli verba hæc: *ad Tribunal Cesaris sto, ibi me oportet judicari. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, si non legerem in scriptis eorum, qui optimi & antiquissimi Canonum Interpretes haberi debent: *Principi data est potestas non tantum super milites sed & Sacerdotes; Quid secularitatem contemnitis. Nemo secularior Pilato cui Dominus adstitit judicandus.* Illud videlicet *Gregorius M.* hoc *Bernardus* edicere non erubuit. Videte igitur, quam remotissimus sim a recentiore juris canonici doctrina, qua grandis ille Peccator *Isidorus* antiquissimo Ecclesie juri circa hanc immunitatem multa subtraxit, interpolavit plura, quamplurima finxit. Videte ut vere jus canonicum antiquum sequar; & anne fortassis hoc minus recte? Tradidi porro & tradam quoque imposterum (non tantum quia ita edoctus, sed quia convictus sum) etiam immunitatem, quam dicunt *realem*, nullo divino jure, sed solis Imperantium privilegii contineri. Credite mihi denuo, hanc non



meam futuram fuisse aut fore sententiam, si non Christus ad illos, qui teste *S. Luca a Sacerdotibus & scribis missi fuerant*, dixisset: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, si non Paulus moneret, *cui tributum, tributum, cui veſtigal, veſtigal*, si non de eodem *Pauli loco* meditata *Chryſostomi* hæc esset commentatio: *ordinari hæc sacerdotibus, non secularibus tantum, etiamsi Apostolus sis, etiamsi evangelistes, etiamsi prophetes, etiamsi quisquis es* quandoquidem (advertite quæſo quam *S. Pater* genuina cum religione rationem subnectat) quandoquidem *hæc subjectio non subvertit pietatem*. In aliâ omnia atque adeo contra ipsius Christi, Apostolorum, & totius veteris Ecclesiæ Canones, in recentiorem doctrinam abijt *Isidorus*. Quis igitur, dum hac doctrina rejecta illos amplector Canones, non me præ recentiore jure canonico, illi antiquo vere reſtiſſimeque adhærentem dixerit. Sic quoque explanavi & usque explanaturus sum, neque illam immunitatem, quæ localis audit, divinitati legibus, sed tanquam speciem gratiæ illorum, qui *non sine causa gladium portant*, a

fo-



folo horum pendere arbitrio, soli eorundem subiacere inspectioni. Attamen neque hæc explanaturus essem, nisi oculis meis observarentur antiquissimi illi ab ip'o Numine dictati Canones: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo evelles eum, ut moriatur — mittent seniores civitatis illius, & arripiant eum de loco effugii: Nisi relata a Mathæo C. XX, esset confirmatio eorum, quæ jam pridem per Jeremiam declamata fuerant his verbis: Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis; suvari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim & ire post Deos alienos, quos ignoratis, & venistis & sticistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum & dixistis liberati sumus eo quod fecerimus omnes abominaciones istas, nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista. Profecto si neque fur, neque qui occidit, neque adulter, neque jurans mendaciter, neque libans Baalim juxta Numinis constitutionem in domo orationis sibi speluncam habet, quibus quæso delictis obnoxii ex divina lege Asylo gaudent?*



fi eum, qui proximum occidit, ab altari suo evelli & quidem ut moriatur evelli ipsum Numen jubet, quæ quæso altaris læsio in arripendis inde hominibus noxiis? quæ cujusdam alterius, ac Justitiæ ordo postulat, sumendæ poenæ necessitas divino jure evincitur? *Si seniores civitatis*, seu quibus civilis potestas competit, stimulante ipso Numine mittere queunt ejusmodi, a quibus nocentes de loco perfugii arripiantur, quis quæso hos *Ministros Dei & vindices in iram iis, qui male agunt* Religionis & loci fieri obtutu impediendi facultatem sibi divinitus concessam demonstrare poterit? demonstrare inquam; afferi enim atque fingi posse non abnuo, siquidem id tentatum est recentiore eorum doctrina, qui illas in antiquo cedere pro innocentibus statutas refugii civitates in necessaria etiam pro nocentibus Asyla transformarunt, qui ex improbata a Numine una alterave, quæ in sacris ædibus contigerat, injusta cæde, non ullum, quantumvis eum justissimæ neci delicta subjecerint, quantumvis ea, quæ Imperanti divinitus commissa est, civitatis salus postulet, auctori-  
ta-



tate profana extrahi posse misero proli-  
dor ratiocinio deduxere. Sed vel ideo ite-  
rum iterumque me hujusmodi, quod recen-  
tiore Ecclesiae saevo prodiit, ratiocinii inimi-  
cum & verum antiqui Juris canonici secta-  
torem æquissime judicabitis. Ita Auditores!  
ita quamlibet nostrae canonum doctrinae po-  
sitionem cum vetustissimo Ecclesiae jure con-  
venientem exhibere possem, si vos non tam  
veritatis quam prolixi sermonis patientia,  
me autem non dies vox atque latera desi-  
cerent. Itaque simul exhibere possem, to-  
tam hanc nostram, quanta quanta est, do-  
ctrinam non a quibus nescio Novatoribus  
fuisse inventam atque obrusam, sed veluti  
cuius purissimos illos a nobis praestructos  
fontes bene inspicienti patebit, a *Christo* &  
ab *Apostolis* tam verbo praedicatam, quam  
exemplo; a *Patribus Sanctis* traditam; pri-  
dem jam disquilitam & firmatam a *Conci-  
liis*; communi veteris *Ecclesiae* consensu & di-  
ciplina roboratam, imo ipsorum Pontificum  
agnitam testimoniis, atque hinc in illis Ca-  
tholicorum terris, in quibus illud *Isidorianum*

ut



ut ita dicam, *Inseparatam* aut nunquam adeo invaluit aut citius destructum est, non tantum a jure consultis, sed & ab Episcopis, omni clero, atque viris religiosissimis, a viris dignitate Ecclesiastica, pietate & doctrina insignibus acceptam & constanter defensam. Omnia sane nostri ecclesiastici juris capita non habere non possunt vetustatis prærogativam, dum fundamento antiquissimo, illo videlicet accurato utriusque potestatis absque ulla dependentia discrimine singula continentur. Soleo persæpe Auditores mecum ipse perpendere, quomodo vel fieri potuerit, ut positis ante cujusque oculos iis, quæ a *Cristo*, ab Apostolis, a tota veteri *Ecclesia* prædicata, atque gesta fuerant, inter fideles, inter homines sanæ mentis, per tot secula, triumpharet ille rationis atque religionis abortus, seu illa omnem divinum humanumque ordinem evertens opinio, qua adscitis vocabulis omnino barbaris si non *directe*, *indirecte* saltim Majestas Principum Imperio Ecclesiastico etiam in civilibus Religionis obtutu subjiciebatur. Novi qui  
dem



dem atque diu multumque pensitavi cunctas tam novæ sententiæ defensiones, quid tandem argumenti & rationis habeant; sed testor illum, cujus doctrinæ usque ad ultimum vitæ spiritum adhærere malo, qui tam aperte edixit *Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis — Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit*, Illum testor, cunctas hujus novæ sententiæ defensiones miseras atque perditas deprehendi. Nolite expectare, ut recenseam singulas, atque refutem. Etsi enim id ad me pertinet, non tamen ad hoc tempus. Intelligit, opinor, quivis satis superque, illum Ecclesiæ nostræ statum, quo odia afflictiones & supplicia ultima tam ipsi fundatori *Christo*, quam subinde *Apostolis* primisque fidelibus imminebant, fuisse statum omnino pessimum, & plane ejusmodi, qualem amici *indirectæ* dependentiæ pro eadem figurare assolent. Agnoscat quisque hoc eodem

in



in statu neque *Christum indirecta* quadam decertandi potestate esse usum, neque eam reliquisse *Apostolis*, neque hos quid aliud egisse, quam *ivisse gaudentes a conspectu concilii*, quoniam *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pari*; quantumvis ad eripienda regna suppressendosque Religionis hostes & divinæ miraculorum & humanæ tot millium, quæ *sepius una die adposita* fuerant, ferventissimorum christianorum vires abunde suffecissent. Scilicet qui, dum *tanta turba eum quærebant, ut facerent eum Regem, in montem fugit*, is ne quidem *divisorem* aut *judicem* in terris agere volebat. *Nos eripit mortalia, qui Regna dat caelestia*. Ita antiquissima canit Ecclesia, & quis recens turbator Chori aliter canere præsumat. Quis recens doctor aut legislator præsumat alia fingere Religionis media, quam quæ adhibere verissimum Dei verbum, atque exemplum nos docuit. *Per patientiam* monet Apostolus *curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui pro-*



*propofito ſibi gaudio ſuſtinet crucem confuſione contenta, recogitare eum.* Verum ex eo, quod noſtra Eccleſiaſtici Juris doctrina antiquiſſima eſt & eſſe debet, immane quantum etiam falluntur ii, qui dum liberrimo tantum ſuo feruntur ſpiritu & abſque omni Religione ac ejuſdem Miniſtrorum obſervatione verſantur, neſcio quibus ad guſtum ſuum in hac noſtra doctrina deprehendis geſtiunt. Percipiant ex jure noſtro, perſonas Eccleſiaſticas in civilibus ſummo civitatis imperio eſſe ſubjectas, ſed & percipiant ex eodem jure, in iis, quæ ad Religionem propterea ſubſiſtentem pertinent, ipſos etiam Imperantes non a ſacro immunos eſſe Regimine. Percipiant ex jure noſtro, nullum omnino in temporalia jus ab Eccleſia arrogari poſſe, ſed & percipiant ex eodem jure, neque Principi Jus ullum eſſe in ea, quæ dum a *Chriſti & Apoſtolorum* ſpiritu proveniunt, dum naturalibus civitatum legibus non repugnant, illico veræ Religionis notam Imperanti *inſpicienti* exhibent. Profecto non religioni, non *ſpiritualibus*, ſed  
iis,



iis, quæ salutem Reipublicæ nocent, & ideo non religiosa, non *spiritualia* esse queunt, sese immiscendi facultatem Principibus tributam esse percipient. Gaudeant per me licet de omni abusu, qui Religionis gravitati obest, tollendo; sed faciant, ut & nos de usu Religionis, qua contra nostri Juris dictamina carent, gaudendi occasionem nanciscamur. Eliminent, non moror, *ineptas & aniles fabulas, quæ non exercent ad pietatem, quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones Blasphemiarum, & suspiciones malæ, confutationes, hominum mente corruptorum & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem*, nam hæc ipsissima *Pauli Apostoli* verba sunt. Eliminent non moror libros, qui dum nugis ejusmodi & *non fidei non omni acceptione digno sermone* referti sunt, & religionis nostræ puritati, & juribus Principum religione confirmatis & generatim civitatis salutem omnino non consulunt. Sed amoveant etiam a se quam longissime sermones atque libros illos, qui dum in omni Religionis ac ejus ministrorum contemptum directi

cti



di sunt, aut ceterum bonis moribus adversantur, non tantum jacturam temporis optimi sed hoc ipso jacturam boni fidelis & verissime etiam jacturam boni civis secumferunt. *Antiquissima* est nostra Ecclesiastici Juris doctrina; atque hinc urgemus antiquissimos quoque Canones illos, qui ita habent: *Qui non crediderit, condemnabitur; qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus; qui recipit vos, me recipit. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Qui bene præsumt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Hos plurimosque alios, quibus ea, quæ protuli, confirmantur, antiquissimos canones nunquam e jure nostro, nunquam e nostramente dimitemus. Notissima sunt illa Juris præcepta: *honeste vivere, ledere neminem, tribuere jus suum cuique.* Hæc præcepta & generatim omnibus & Jure consulto Ecclesiastico vix non dicam quam maxime sunt observanda. Hæc eadem autem præcepta neque is, quem nulla religio, nullus Ecclesiæ Canon sollicitat, neque ille, qui Canones quidem sed tantum veteri Ecclesiæ disci-



plinae & Principum Juribus adversos sequitur, integre adimplebit. Sit igitur sub AUGUSTIS-SIMORUM NOSTRORUM auspiciis, sub praefidio vestro *Viri amplissimi* ac *Magnifici*, accedente nostro, quem Deo & Patriae debemus, labore, sit usque stabile illud, quod a studii apud nos restaurati initio haecenus defendebamus, canonicum Jus *antiquissimum*. Hoc cordatam doctrinam cum genuina pietate conciliat, hoc internam fidelium cum externa civium salute conjungit, hoc jam effecit, & efficiet porro, ut major indies sanctissimi Sacerdotii cum sanctissimo civitatis Imperio concordia obtineatur.





## POSITIONES.

### I.

Summi Pontificis iudicium irreformabile non est, nisi Ecclesie consensus accesserit.

II. Unde etiam sententiam, quam Universitas nostra Vindobonensis in *Responsorio ad consultationem Electorum Imperii 1440.* dedit, tuendam suscipimus: nempe, Concilium Generale supremam habere, etiam supra Romanum Pontificem, potestatem.

III. Per hoc, quod summo Pontifici competat jus ferendi leges uniuersales; Episcopis, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, facultas intra limites suarum Diocesum condendi leges Ecclesiasticas, salva tamen debita subordinatione, non aufertur.

IV. Quamquam jus illud Sacrorum summum & independens Ecclesie, solisque personis Ecclesiasticis proprium sit; inde tamen non consequitur, nullum omnino jus circa Sacra Principibus secularibus competere.

V. Cum enim naturali ratione quilibet homo verum Dei cultum pro virili parte promovere, & amplificare teneatur, ita hanc Divinae Religionis curam Principibus secularibus quam maxime incumbere, atque eos illius Defensores, & Advocatos esse, in dubium vocari nequit.

VI. Ac proinde Canones Ecclesiasticos dogmaticos, & disciplinares, in quantum Bono Civitatis non obstant, auctoritate sua conditis legibus munire & tueri tenentur.

VII. Ex hoc ipso Advocatie Ecclesiasticae principio derivatur. 1. Jus Principis convocandi Concilia particularia. 2. Jus constituendi colloquia ad componenda Religionis dissidia. 3. Jus compescendi eos, qui vel oppugnant Religionem, aut genera-



ratim; aut in iis dogmatibus, quæ ab universâ Ecclesia habentur sive definita, sive certa, vel quæ in Disputationibus de rebus adhuc obscuris, & in Ecclesia controversis schismata, & factiones, tranquillitatem publicam perturbantes excitant, & caritatis limites adversus dissentientes excedunt. 4. Jus liberos Religioni, & moribus perniciosos proscribendi.

VIII. Inde etiam est, quod Legislator Ecclesiasticus quiscunque sine præcitu Principis; seu, ut vocant *Placeto Regio*, legem, seu Constitutionem ullam promulgare nequeat.

IX. Quum Bona Ecclesiastica summo Imperio civili per se non eximuntur; facile patet, læt tributis tam ordinariis, quam extraordinariis subjacere, nisi Privilegium exemptionis a Principe concessæ doceri valeat.

X. Quod adeo verum est, ut vi alti, & eminentis domini, Princeps Bona Ecclesiastica omnino alienare, vel in alios usus convertere possit; si manifestum sit, quod alio modo imminens utrique Republicæ periculum averti nequeat.

XI. Justa quoque est Lex *Amortizationis* nomine nota, vi cujus Imperans civilis prohibet, ne Bona immobilia, aliaque jura his æquivalentia, in communitates Ecclesiasticas transferantur.

XII. Potest denique Princeps Catholicus subditis suis a vera Religione alienis liberum, aut certis pactis & conditionibus limitatum Sacrorum suorum exercitium permittere, & tolerare; si ineluctabilis Republicæ necessitas id exigat.

XIII. Et tandem subditis, a potestate Ecclesiastica graviter læsis patere debet Recursus ad Principem, tanquam Defensorem, & Tutorem populi universi, singulorumque subditorum.



(X2281931)

TA 70L

ULB Halle

3

006 355 056




v>78









B.I.G.

Farbkarte #13

# PROLUSIO

QUAM  
IN AUDITORIO MAGNO  
PALLATHI ACADEMICI

HABEBAT  
IOSEPHUS VALENTINUS EYBEL  
I. U. D. ET JUR. ECCLES. PROF. PUBL.

EXTRAORD. CÆS. REG.  
DIE 3. NOV. ANNI MDCCLXXIII

DUM  
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITAS VINDOBONENSIS,

INTERPELLATA TANTISPER STUDIA  
RECLUSIS SCIENTIARUM PALÆSTRIS

AUSPICABATUR

NUNC  
DIVULGATA

R. D. IOSEPHO HALUZA  
AUSTRIACO ET JUR. ECCLES. AUDITORE

OCCASIONE  
PUBLICÆ DEFENSIONIS

ADNEXARUM  
JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ  
POSITIONUM

IN AUDITORIO JURIDICO

HORA IV. POSTMERID. DIE 8. APRILII  
MDCCLXXIV.

AB EODEM SUSCEPTÆ.



VIENNÆ,

Typis JOSEPHI KURZBÖCK, Cæs. Reg. Aulae  
Illirico-Orientalis, nec non incl. inf. Austr.  
Ord. Typogr. 1774.